





1689.

1. Eubor, Georgius Adamus : De rebus creditis et
l. vinum 22. §.
2. Grohmann, Melchior Delhmann : De officio et
potestate arbitratorum
3. Henckemrod, Joh. Caspar : De jure vectigalium
4. Kleinschmidius, Johannes Henricus : De abusu.
5. Papin, Dionysius : De matheseos objecto, divisione
modo versandi circa objectum ac fine.
6. Zamschliffen, Otto Philippus : Lucerna juridica
temporis nocturni id est disquisitio juridica
ad l. non minor em 20 Cod. De transact...

1690.

1. Eyb, Joh. Albertus, von : Positiones quaedam
avaris ex jure desumptae
2. Frantz, Christianus : De revocatione confessionum

1490

3. Franz, Lucas: De restitutione fructuum bonae fide consumptorum.
4. Hamer, Justus: De matrimonio putativo.
5. Hamerus, Richardus Gothofredus: De possessione in probante corrente.
6. Handwerck, Henricus Philippus: Remedium supplicationis.
7. Kleinschmid, Joh. Murren: De rege Romano Germanico.
8. Litz, Johann Wilhelm: De legati aequitatis subsidio.
9. Lombardus, Joh. Murren: De legitima.
10. Schuetz, Johann Murren: De jactatione.
11. Walther, Johann Philippus: De Senatus-consulto macedonico.
12. Zamschifferus, Otto Philippus: De jure dependentium Tironum.

1691.

1. Edelstein, Frederic Christianus ab: De plura etate
votorum in negotiis imperii Romano. Germanici
tam publicis quam privatis

1692.

1. Epping, Didericus: Investigatio fideicommissi
conventionalis
2. Kleinmuth, Corp Albert: De iure alieno in
bonis fundatis solvendo
3. Schanz, Nicolaus Christianus: De possessione et
iure possessionis
4. Zamschifferus, Mr Philippus: De haereditate
bonis consiliariis.
5. Zamschifferus, Mr Philippus: De iure optionis vel
electoralis
6. Zamschifferus, Mr Philippus: De actione tutelae
substitutiva
7. Zamschifferus, Mr Philippus: De substitutione
directa.

14.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







39.

103

PRÆLUCENTE JEHOVA,
COMMENTATIO

DE

1689 4.

ABUSU,

Per legum pomœria fyntheticè deducta,
Academico & solenni congressui destinata,

ET

MODERAMINI

VIRI *Nobilissimi & Consultissimi*

DN. JOHANNIS HENRICI
KLEINSCHMIDII,

Jur. Prof. Extraord. Phil. Pract. ordinarii, Hospitis
& Mœcenatis honoratissimi,

Permissa

Ab

AUTHORE & RESPONDENTE

JOHANNE REINHARDO
BÖDICKER, CASSELLANO.

Die Junii horis locoq; solitis.

Marburgi, Typis JOH. HENRICI STOCKII, AN. 1689.

ESSEN

Jauffen



PRÆLUCENTE (EHOVA,
COMMITTATIS

ABBUS

Perle um ponnosin (mischer) dchul
Acquiesce de lokon (mischer) dchul

MODERKAMINE
VIRI (mischer) dchul
DN JOHANNIS HENRICI
KLEINSCHEMIDT

Perle um ponnosin (mischer) dchul
Acquiesce de lokon (mischer) dchul

ANTHONY (mischer) dchul
JOHANNES REINHARDT
BODICER, CASSELLANO

Perle um ponnosin (mischer) dchul
Acquiesce de lokon (mischer) dchul



INTROITUS.



Publicum Jurisprudentiæ
polemicæ Experimentū
facturi, argumentum
per universam juris com-
pagem diffusum, & ex
variis subinde analectis
congestum, succinctā
rimamur indagine. Mul-
ta Herennium Modesti-

num, *notando* & *disputando*, feliciter investigasse
ac decrevisse, dicæologia nostra comprobat
in l. ult. §. 16. de muner. & honor. Tentamus & nos
discutere ea, quæ non minus venustate, quàm
flore luxuriant, & amplissimum commenta-
tionis atq; spicilegii fructum, post se relinquunt.
Sit igitur Numinis indultu.

A P H O R I S M U S

I.

Abusus est Juris constituti aut legitimè acquisiti, vel compe-
tentis, in læsionem vel injuriam, illicitè aut irreverenter
facta

A 2

LIBRARIUS

Augustin



facta pertractio l. 12. §. 1. ibi: *Scilicet non usque ad abusum. de us. & habit. cap. 22. ibi: irreverenter abuti. X. de prab. & dignit. cap. 24. ibi: pertrahantur ad abusum X. de priv. & excess. priv. Vel: Est usus liciti in illicitum conversio. Glos. in marg. ad l. 5. §. 1. de usufr. ear. rer. &c. ubi ait: Abusus propriè malum usum significat.*

II.

Juris vocabulum hoc loco tum legem publicam, tum quamlibet facultatem, à natura, lege vel homine tributam, significat l. 1. pr. de S. P. R. l. 54. de R. I. princ. I. de act. Vinn. Jurispr. contr. in adit. cap. 1. princ. Feltmann. ad l. 2. §. 4. de O. I. num. 5. cum de eo duntaxat, quod legitimè usurpandum, expediendum aut exequendum alicui est permissum & concessum, illegitimè verò exercetur, prædicetur abusus cap. 32. ibi: *permissa abutitur potestate. X. de sent. excomm.* Quò ipsò differt, (1.) à delicto, quod factum quodlibet illicitum, ejusmodi facultate quantumvis haud concessa, admissum, designat l. 25. §. 1. de O. & A. Unde si pater, filio peculium castrense habenti, furtum faciat, non tam potestate suâ abuti, quàm delinquere censetur, eâque de causâ utili actione conveniri potest l. 52. §. 6. de furt. Idem dicendum, si quis fame alium necaverit, l. 9. §. 2. ad L. Aquil. (2.) à non usu, qui merè privativè se habet, & in totali juris quæsitio omissione consistit l. 16. C. de usufr. junct. §. 3. Inst. eod. (3.) à contrario usu, qui in spontanea Juris sive privilegii renunciatione seu contraventione positus est cap. 6. X. de priv. Tapia ad l. ult. de const. princ. part. 2. cap. 2. ubi hoc latè persequitur. Quare si quis catastro civico se suaque bona patiatur describi, censetur immunitatem à muneribus realibus abdicasse l. 1. & t. t. C. de his qui sponte publ. mun. sub.

III.

III.

Non incongruè abusus dici potest (1.) *ratione causa effici-
entis*, alius *juris constituti*, alius *acquisti* (2.) *ratione mate-
ria*, alius *personarum*, alius *rerum*, itemque alius *totalis*, alius *par-
tialis*. (3.) *ratione forma*, alius *dolosus*, alius *culposus*, nec non a-
lius *positivus*, alius *negativus*. (4.) *Ab Effectu*, alius *pœnalis*, alius
rei persecutorius, quas singulas species conveniens indago de-
inceps dilucidabit.

IV.

Idem, quod Ulpianus *in l. 1. §. 2. de susp. tutor.* tradit, & Im-
perator *in princ. l. eod.* repetit, crimen suspecti ex *L. XII Tabb.*
descendere, abusui quoque haud incongruè aptatur. Quan-
tumvis enim jure etiam naturali improbetur, ejusque coërci-
tio illi conveniens sit, cùm nihil tam inhumanum sit, quàm à
natura ad salutem hominum data, ad bonorum pestem perni-
ciemque convertere, bene monente Cicerone *lib. 2. Officior.*
Et ipse quoque Deus, tum Sanctissimi Nominis sui, tum Crea-
turarum abusum gravissimis peccatis accenseat *Exod. 20. v. 7.*
& 31. v. 4. Jos. 7. v. 1. 2. & 24. tamen quia Romani, abusus in o-
mnibus causis ac negotiis occurrentes, accuratissimè notârunt,
& specialius expresseferunt, neque eos duntaxat, qui æquitati
naturali adversantur, verum & hos, qui utilitatem publicam of-
fendunt, nominatim produxerunt & taxârunt, quin etiam o-
mnibus & singulis certas ac determinatas pœnas aut persecu-
tiones præstituerunt, hinc rectè quoque Juris Civilis dici pot-
est. Quam ob causam non minus illi, qui lege, quàm qui na-
turâ, obnoxii redduntur, subjectum abusus constituunt, ut *ex
seqq.* apparebit.

V.

Jus autem, circa quod versatur & committitur abusus, respi-
cit vel *personas*, vel *res*. *Personas*, consideratas tum *absolutè*
A 3 & in

[E] [S] [I] [A]

Jugon



Et in se, tùm relatè & quoad alios. Relatè, respectu tùm potestatis, tùm conditionis. Potestatis vel publicæ vel privatae. Privatae rursus vel imperiosæ vel civilis. Imperiosæ itidem vel dominicæ vel patriæ, & illius vicissim vel durantis vel solutæ.

VI.

SI durat potestas dominica, eaque dominus in servum intolerabiliter sæviendo, eumque infami injuriâ afficiendo, abutitur, virtute dominii supereminens seu jurisdictionis, cujus in §. ult. Inst. de his qui sui vel alien. jur. sunt, nec non in artic. 10. Instr. Pacif. Osnabr. genuinus latet fons & character, cogitur eum, bonis conditionibus & pretio accepto, vendere d. §. ult. cum liberum rerum suarum arbitrium in servo, ceu nobiliori creatura, meritò restringi Vultej. ad d. §. ult. in fin. & publicè caveri debeat, ne quis re suâ malè utatur. Vid. Tabor. Barbof. locupl. lib. 1. cap. 7. §. 2. Sic & maritus in servos dotales immoderatam exercens sævitiam, coërcetur, tametsi in proprios quoque eandem exerceat l. 24. §. 5. solut. matrim. Pecandi etiam necessitas servo imposita, aut gravi morbo afflicti è domo ejectio, ut temerarium abusum inducit, ita quoque dominicam potestatem penitus tollit l. 6. C. de spectac. l. unic. §. 3. C. de latin. libert. toll.

VII.

HAud dispari modo homines proprii, in quibus vestigia quædam pristinæ servitutis deprehenduntur add. Gail. de pigner. obs. 8. num. 4. & 5. Colleg. Argent. tit. de stat. homin. th. 18. ob nimiam crudelitatem nexu dominorum liberantur Stamm. tr. de servit. Personal. lib. 3. cap. 25. Struv. Synt. Civil. Ex. 40. th. ult. num. 5. Quâ de causâ etiam invaluit, ut propter novas operas & exactiones, per sævitiam impositas, mandata sine clausula decernantur Gail, lib. 1. obs. 17. Myns-cent. 5. obs. 8. num.

num. 12. quin imò superior citra illorum instantiam, sævientes dominos coërcere possit, Gail. *d. loc. Mantz. special. in iur. Comm. voce Abusus. num. 3. 17. 28. 31. & 33.*

VIII.

NEquè aliud dicendum de Vasallo, quippe cui ob nimiam sævitiam, quam in subditos exercet, feudum auferri solet, Struv. *Synt. feud. cap. 15. aph. 5.* Manz. *d. l. num. 2.* adeò, ut si sævitia illa sit notoria, & Vasallus sæpius à domino admonitus, ab ea non desistat, propterea que rusticis ipsi subjectis, ne amplius censum ac servitia præstent, interdictio facta sit, tamen possessorio agenti vasallo, feudum restitui haud debeat Fachs. *conf. r. quest. 1. num. 2.*

IX.

Soluta per manumissionem potestate, si patronus jure suo abutatur, & libertum non aliat, neque congruos sumptus, ut obligationi operarum præstandarum satisfacere possit, decernat, jus patroni perdit *l. s. §. ult. de jur. patron.* & hic ab ea per prætorem liberatur *l. 20. pr. de oper. libert.* Neque compos fit ejusdem successionis, qui libertum defunctum capitis accusavit, neque tamen perfecit, quique libertum ex libertate in servitutem petiit, nec ab actione destitit *l. 9. §. 1. l. 10. l. 11. de jur. patron. l. 9. l. 14. pr. & §. §. seqq. de bon. libert.*

X.

Naturalem erga liberos charitatem, si pater susque deque habeat, suamque potestatem in fœdum & inofficiosum abusum convertat, dum iis malefacta imperat, alimenta deneget, insidias struit, aut modum in castigando, *vel malè contra pietatem eos afficiendo, vel plane trucidando, quod aliàs olim ipsi licitum erat l. 11. in f. de lib. & posth. hered. inst.* excedit, jus suum

[FACHS]

Fach

suum atque potestatem protinus amittit *l. 12. C. de Episc. au-*
diens. Nov. 115. cap. 4. l. 4. de agnosc. & alend. lib. 1. ult. si quis à pa-
rent. manum. fuer. in pietate siquidem, non atrocitate hæc
 consistere debet *l. 5. ad L. Pompej. de parric.* Sicut etiam ejus-
 dem testamentum, in quo contra pietatem liberos excludit,
 querelæ inofficiosi subjacet *l. 1. & t. t. de inoff. testam.* & quidem
 colore furoris, eâ in re olim necessario, hodie non amplius
 prætexendo Fransck. *ad dict. tit. de inoff. testam. n. 10. Manz.*
ad princ. Inst. eod. in fine.

XI.

DUm quoque arrogator potestatem ex legis præscripto
 non usurpat, sed filium impuberem, injustè exhæredat,
 aut citra meritum emancipat, hanc abusus sui sentit pœnam,
 ut quartam bonorum suorum, & quidem indifferenter omni-
 um seu universorum, ei relinquere obstringatur §. 3. *Inst. de*
adopt. Fransk. Ex. 2. quæst. 9. Locam. quæst. ad Inst. 32.

XII.

Non absre quoque huc refertur abusus præceptorum, le-
 gis siquidem aquilæ actione, quando limites in coërcen-
 do transiliunt, conveniri possunt, cum levis saltem & modera-
 ta, seu ad monendum & docendum tendens castigatio, iis sit
 permessa *l. 5. §. ult. ad L. Aquil.* & præceptoris nimia sævitia cul-
 pæ annumeretur *l. 6. eod.* Similiter cum non minus disciplinæ,
 quam artis causâ pueri tradantur magistris seu opificibus, hi
 quoque ob abusum, quatenus forte puer ob vulnus illatum in
 operis præstandis impeditur, quodque in ejus curationem
 impendi debuit, eadem actione tenentur *l. 7. princ. dict. tit.*

XIII.

Quod si tamen in tantum excrescat sævitia, ut puer à ma-
 gistro aufugere cogatur, ad eum, non nisi præstitâ prius
 cautio-

cautione, redire compellitur Beyer. *tr. de Tyrone. cap. 10. §. 3. n. 529.* Imò si & hujus elusionem, ob genium admodum immitem, intractabilem & furiosum metuat, à magistratu, ut alii tradatur magistro, causâ cogitâ rectè impetrabit Beyer *d. loc. num. 527.*

XIV.

MUltis etiam modis tutores potestate abutuntur, quando providentiam pupillarem, cujus intuitu dominorum instar habentur *l. 27. de adm. tut.* non præstant, veluti si pupillum non defendunt *l. 10. eod.* alimenta aliosve sumptus, secundum dignitatem & facultates eorum, non suppeditant *l. 13. d. tit. aut si arbitrio suo eâ in re confidere nolint, prætorem pro congruis alimentis decernendis non addeunt l. ult. C. de alim. pup. prest.* vel etiam hac de causâ latitant, aut bona pupilli ad alimenta haud sufficere temerè & per medacium asseverant *§. 9. & 10. Inst. de susp. tut.* vel denique in educando aut erudiendo pupillo debitam curam ac sollicitudinem non adhibent *l. 12. §. 3 de adm. tut.*

XV.

QUæ de potestatibus regali similibus, iisque finitimis, dicta sunt, procedunt præterea in civili seu maritali vid. *l. 14. §. 1. solut. matrim. Tabor. part. elem. part. 1. th. 17.* Abutitur enim hæc maritus, quando mulierem defendere, totamque familiam alere atque educare negligit *l. 4. l. 5. pr. & §§. seqq. de agnosc. & al. lib.* tametsi illa dotem non inferat *Nov. 22. cap. 18. vers. Siquis sub potestate &c. Struv. Exerc. 30. th. 5.* aut eâ illatâ, lucri partem, nullam verò damni in conventionem deducat Abraham à Wesel. *tract. de connub. bonor. societ. tract. 2. de pact. dotal. n. 96.*

B

XVI.

[EISEN]

Lugger

XVI.

Idem dicendum, si eam lenocinio mancipat *l. 2. §. 2. & seqq.*
ad L. lul. de adult. sive mercalem habet, ut dicitur *l. 5. C. de cond. ob turp. caus.* vel si fustibus aut flagellis cedit *Nov. 117. c. 14.* quò casu tantum, quantum valet pars tertia donationis propter nuptias, illi solvere tenetur *d. Nov. junct. auth. Sed novo. C. de repud.* Quòd si verò nimiam & continuam exerceat sævitiam, perque eam mulierem in vitæ periculum conjiciat, separatio thori & mentæ decerni solet *Carpzov. Jurispr. Consist. lib. 2. def. 210. & seqq.* Quanquam etiam hanc, sub casu *1. ad Corinth. 7.* contineri, nonnulli asseverent. *Vid. Author Der unvorgreiflichen Gedancken von unaufflößlicher Einigkeit der Ehe pag. 112. & 113.* ubi plures allegat. Non tamen pars deserens lucra nuptialia, ut aliàs in adulterio fit *cap. 4. X. de donat. int. vir. & uxor.* amittit *arg. l. pen. de pæn. Nov. 134. cap. 10. & 11. Brunnemann. cent. 3. decis. 62. n. 2.* licet dissentire videatur *Carpzov. Jurispr. forens. part. 3. const. 26. def. 1. & seqq. Add. Mevius. part. 7. dec. 162.* Nefandus autem & impius profus est abusus, si uxorem ceu vitæ consortem crudelissimè trucidet, tum enim lucro dotis privatur & heredibus uxoris actio pro ea repetenda conceditur *l. 10. §. 1. solut. matrim.*

XVII.

Succedit abusus potestatis publicæ, magistratus, juris & justitiæ administrandæ causâ constitutos, respiciens, quo de *vid. Nov. 8. pref.* In genere verò in eo consistit, quando magistratus singula ad partes muneris sui spectantia haud curat. *Iunge d. Nov. tit. 3.* In specie verò & nominatim, quando facinorosos non inquirit *l. 3. de offic. presid.* vitiis nutriendis parcit & favet, *can. 38. caus. 23. quest. 5.* delicta committenda & damna proximo imminetia haud revelat & avertit; Cùm enim cuilibet,
 id

id incumbat Christiano, multò magis magistratum decet, hac in parte enixam sollicitudinem adhibere, & ansam cujuslibet mali avertere, ne aliàs injuriantem fovere ac culpæ ejus participes esse videatur, ut notabiliter dicitur *in cap. 6. de sent. excomm. in sexto.* Unde neminem ob nocivam hanc reticentiam in foro, sive externo, sive interno, seu conscientia, securum esse, cum citatis monet Tabor. *Racem. Crim. ad l. 67. de furt. pag. 254.*

XVIII.

A Butitur & porrò magistratus, quando munimine h. e. legitima sibi que indulta immunitate defensum, non audit *l. 2. C. de offic. civil. judic.* novitates odiosas & plerumque perniciosas, amat & sectatur *l. 6. C. de accus. ἀνταρταίαν* & quicquid ad eam pertinet, susque deque habet *l. 1. §. 11. de offic. præf. urb.* per injuriam quicquam facit *l. 32. de injur.* gratificationem seu casum pro amico exercet *l. 79. §. 1. de judic. l. 4. si quis omiff. caus. testam. Nov. 22. cap. 25. add. can. 78. caus. 11. quæst. 3.* Bitsch. *decad. cas. pro amic. præf. concussione utitur l. 1. C. si quac. præd. potest.* aut justitiam differt sive denegat *Nov. 86. cap. 1. ibi: Index differat discernere negotium!* Adde memorabile exemplum relatum in Constitutione Imp. Leonis Armenii de præfecto, pœnam adulterii non irrogante.

XIX.

E Adem est ratio judicis, quando ordinem judicarium negligit *l. 4. C. de sentent. & interl.* ab executione initium facit *l. 1. C. de Exec. rei judic.* in causa civili aut criminali quicquam accipit *l. 1. l. ult. C. de pœn. judic. qui malè judic.* licet ea bona fuerit *l. 2. §. 2. de condict. ob turp. caus. acta & probata,* si conscientia haud reclamet, non sequitur *l. 1. §. 6. de offic. presid.*

B 2

Hot-

Jauffen



Hottomann. *illustr. quest.* 27. inauditum contra æquitatis rationem condemnat *l. 1. princ. de requir. l. absent. damn.* adversus aut præter petita pronunciat *l. ult. C. de fideicom.* contra leges aut communem opinionem, sive scienter sive per imperitiam, pronunciat *arg. l. unic. ibi: Crebrior apud veteres opinio. de questor. princ. Inst. de obl. quæ quas ex del. nasc.* nisi singularis sententia firmiori ratione sit subnixæ *arg. cap. 4. ibi: posterior sententia. X. de feriis.* appellationem interpositam rejicit *l. 21. C. de appell. vel etiam provocatione haud suspensâ, non exequitur l. ult. C. de Exec. rei judic.* In tribus enim totum iudicis officium consistit, ut causam cognoscat, cognitam decidat, decisam exequatur *arg. l. pen. C. eod.*

XX.

Variaæ autem pœnæ eo nomine præstitutaæ reperiuntur, cum primis verò extraordinariæ, uti ex locis adductis apparet, nonnunquam etiam remotio *l. 12. C. de suscept. præpos. & arcar.* Feltmann. *ad l. 13. de offic. præsid. n. 7.* Imò non minus Clericis, quam laicis permittitur, contra ordinarium magistratum, injuriam in personis vel rebus inferentem, sese defendere *cap. 6. princ. de sentent. excomm. in sexto. Tabor. Barbos. locuplet. lib. 9. cap. 88. aph. 11.* Raphael de Vilosa *tract. de Fugitivo. cap. 18. §. 4. n. 6.* aut si rem ipsam obtinere nequeant, propriâ autoritate eam occupare, vel etiam ejus loco aliam vel similem quantitatem auferre Covarruv. *lib. 1. var. resolut. cap. 2. n. 14. in fin.* Quæ verò pœnæ, si humanæ non sequantur, subintrent, innuit *pia Constitutio Imp. Leonis & Alexandri, quæ inter Imperatorias extat constitutiones.*

XXI.

Militares quod attinet iudices, alios non militantes, cirra abusum & pœnam ad forum suum pertrahere *l. 1. C. de offic.*

offic. mil. judic. aut militarem manum in aliis, quam publicis causis. & ad instantiam judicis civilis, adhibere nequeunt *l. 1. C. de offic. pref. august.* nisi insignis contumacia subsit ejus, qui ad rei, quam habet, restitutionem est condemnatus, neque tamen eam reddere vult, quo tamen casu itidem judicis civilis auctoritate opus est *l. 68. de R. V.* Præterea magis supra deputata sibi emolumenta secundum labores suos de nostra largitate remunerationem sperare, & non de com meatu militum vel de eorum stipendiis sibi lucrum acquirere debent, ait Imperator Justinianus in *l. ult. §. 9. C. de offic. pref. Afric.* Quâ de causâ etiam actuarii militum, rationibus annonarum militarium præpositi, si species quasdam suppresserunt, aut in numerum non erogârunt, de propriis facultatibus, vel militibus, vel fisco, damnum datum sarcire tenentur *l. 5. C. de erogat. mil. ann. ubi Brunnemann. Pappus. Corpor. Jur. milit. rubric. Juris mil. Suec. tit. 20. & 22.* Neque prætereundus abusus valdè gravis, & propterea capitalis, si quis à fossato h. e. vallo, quo castrum est munitum, recedit, hacque ratione, milites sibi concreditos, præsentaneo periculo subicit *l. 3. §. 4. de re mil. Feltmann. respons. de re milit. 3. num. 33.*

XXII.

Potestatem excipit conditio, seu certum vitæ genus aut munus. Et quidem Medicus si imperitè servum lecat, aut benè sectum negligit, (chirurgi siquidem medicorum appellatione olim etiam continebantur *§. 6. Inst. de L. aquil. l. 4. §. ult. in fin. ad L. Cornel. de sicar. l. 1. §. 3. de extraord. cognit.*) aut porrò medicamentum perperam applicat, abusus hujus nomine convenitur *l. 7. §. ult. l. 8. princ. ad L. aquil.* Licet enim eventus mortalitatis medico imputari nequeat, infirmitas tamen ejus vel imperitia, alteri periculosa non esse, neque prætextu fragili-

B 3

ta-

Augustin



ratis humanæ excusari debet *l. 7. §. 7. de offic. presid. l. 132. de R. I.* Quâ de causâ etiam eum de levissima culpa teneri, tradit Carrar. *tract. de Medic. part. 3. n. 191. & seqq. usque ad n. 202.* Multò magis verò id pertinet ad Empiricos & Medicastro, utpote citra artem pharmaca præscribentes, quos prorsus tolerandos non esse, benè monet Feltmann, *add. l. 9. §. 7. n. 8.*

XXIII.

Obstetricem item medicinam prorigere, probat *l. 1. §. 2. de extraord. cognit. add. l. 1. §. 5. C. de comm. serv. manum.* quâ de re Cujac. *lib. 17. Observ. 27.* proindeque etiam multis immunitatibus atque privilegiis gaudere, tradit Zachias *quest. med. legal. tit. 6. lit. 1. quest. 12. n. 1.* Si tamen hac licentiâ abutatur, & nocivum porrigat medicamentum, directa *L. aquilia* actione convenitur; Si verò dedit, ut applicaretur, in factum actione teneri, ait Ulpianus *in l. 9. princ. ad L. aquil.* In praxi tamen & foro differentiam hanc non servari, sed eam quoque, quæ per culpam mortis causam præbuit, *L. aquilia* obstringi, rectè addit Brunne mann. *add. l. 9. n. 1. in fin. & non obscure probatur arg. l. 15. ad L. Cornel. de sicar.*

XXIV.

Licet verò ex medicamento conceptionis causâ præbito, decedat mulier, non tamen obstetrix intuitu hujus abusus *L. Cornelia de sicar.* tenetur, sed saltem vi Senatus Consulti, sc. anonymi, cujus exemplum etiam prostat *in §. 3. Inst. de Vsufr. & l. 1. de Vsufr. ear. rer. &c.* relegatur, cum non malo animo, sed malo exemplo dederit *l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de sicar.* Alia est ratio, si abortionis aut amatorium poculum datum, mulierem vel hominem jugulaverit, tum enim licet dans in dolo haud sit, tamen summo adficitur supplicio *l. 38. §. 5. de pæn.* cum illud ex
phar-

pharmacis saluberrimis & generationem promoventibus, hoc verò ex venenatis & violentis confici & præparari solet, ut docet Harpprecht *ad §. 5. Inst. de publ. judic. n. 19.* Aliàs illationem ex *d. l. 38. §. 5.* à nonnullis ceu ineptè petitam, rectè observant & diluunt Goehausen *peric. academ. 2. quæst. 15.* Ungepaar. *in comm. ad Decret. ad tit. X. de homic. volunt. vel casual. n. 3. & Exerc. Inst. 16. quæst. 12. in nego. add.* Wissenbach. *ad l. 152. de V. S. n. 10.*

XXV.

SI disciplinam hominum negligent, neque facinorosos homines, ex merito puniendos, deferant, aut quietem publicam non procurent Irenarchæ, munere suo non minus abutuntur, quàm si deprehensos malignè interrogent, aut dicta pro non dictis referant *l. 6. de custod. reor.* sicut enim ea in re felicitas & incrementum Reipublicæ situm est, eaque de causâ, Reip. gratiâ ab esse dicuntur *l. 35. §. 5. ex quib. caus. major. add. l. 18. §. 7. de muner. & honor. l. unic. C. de Irenach.* ità etiam ob incuriam aut conniventiam severè puniuntur *d. l. 6.* Curiosi quoq; sive stationarii aut speculatores, quos habebant, capitali supplicio afficiuntur, quando super exactione faciunt, carcerem habent, aut crimine etiam manifesto commaculatos, custodiæ mancipant *l. 1. C. de cohort.* Hodie Irenarchis propemodum similes sunt ii, qui Judiciis Censoriis den Rüggerichten præstituti, ut in quævis malefacta, Christianam fidem & publicam honestatem offendentia, inquirent, eaque si levia sint, puniant, sin graviora, judici ordinario deferant. Besold. *thes. practic. voc. Rügen.*

XXVI.

ULterius cleri officio abutitur, & ab eo removetur, reusque injuriarum judicatur, qui sacerdotes in eadem provincia con-

[REVERS]

Lugger

constitutos relinquit, & judicia episcoporum in aliis provinciis expetit vel patitur *can. 14. caus. 3. quest. 7.* Infamatur etiam & à gradu dejicitur, qui episcopum suum accusat, eive insidiatur *can. 8. caus. 3. q. 4.* quique inemendabilis percussor existit *cap. 1. X. de cleric. percuss.* Neque immunis est à labe abusus, qui dicit in aliquem, quod evidentibus documentis convinere nequit *can. 3. caus. 6. quest. 2.* nec non, qui pravos homines in societatem recipit, neque emendat *can. 59. caus. 3. quest. 5.*

XXVII.

Pastor gradus emendationum & admonitionum negligens, & certam in concione personam, vel nominatim vel graphicè depictam, perstringens, aut etiam de facto non satis certus, ex privato affectu aliquem tangens, non minimum committit abusum *Rec. Imp. de ann. 1530. §. und haben wir. ibi: und daß die Prediger. Rec. Imp. de anno 1542. §. Damit aber.* eaque de causâ injuriarum, vel recantatoriâ actione, juxta communem Dd. sententiam, conveniri potest *Carpzov. jurispr. Consist. tit. 9. def. 98. n. 11. & seqq. Struv. Exerc. 48. th. 56. Eckolt. ad ff. tit. de injur. §. 5.* Modestius tamen & magis piè facere arbitramur, qui tali casu in honorem & reverentiam ministerii, nec non ob summum hujus muneris pondus, à rigore dictarum actionum abstinet, & Christianam saltem declarationem atque deprecationem urget, præprimis cum hæc non poenæ, sed innocentiae testimonium sit *Mevius part. 6. decis. 88. n. 3.* nihilque turpitudinis contineat, sed conscientiae consulat *Brunnemann. ad l. 5. de injur. n. 9.*

XXVIII.

Denique personæ in se consideratæ committunt abusum, quando inhonestè vivunt *l. 10. de j. & l.* aut aliquid com-
mit-

mittunt, quod pietati, verecundiæ aut bonis moribus adverfa-
tur. *l. 15. de cond. instit.* Sic enim immoderatorum & insano-
rum poculorum usus est maximus abusus, eâ de causâ multis
Imperii Constitutionibus, severè taxatus & prohibitus *R. I. de
ann. 1500. tit. vom Zutrincken. R. I. de ann. 1512. tit. vom
Gottslâstern. R. I. de ann. 1530. tit. vom Zutrincken. R. I. de
ann. 1548. eod. tit. & R. I. de ann. 1577. tit. 8. rubr. vom über-
mäßigen Zutrincken.* & non immeritò delictis extraordina-
riis accensus *Struv. Exerc. 48. th. 113. add. l. 11. §. 2. ibi: per
ebrietatem. de pœn.* ita ut eapropter pœna vel carceris vel gra-
vior sive relegatio dictetur *Carpz. prax. crimin. part. 3. q. 146.
n. 28.* Unde si miles per vinum aut lasciviam sibi mortem con-
sciscere intendit, ordinariâ pœnâ non punitur, sed militiæ mu-
tatio irrogatur *l. 6. §. 7. de re milit.* Si tamen aliud quoddam cri-
men, veluti homicidium, per ebrietatem, dummodò non imo-
dicam, seu mentis exilium non inducentem, commissum, ordi-
naria *L. Corneliæ* pœna dictari solet *Brunnemann. cent. 2.
decis. 21.*

XXIX.

Maximè verò ab ebrietate & crapula abstinere, seque ad
potus æquales obligare non debent Clerici, alioquin 30.
dierum spatio à communione, si moniti non desistant, submo-
vendi aut capitaliter puniendi *can. ult. dist. 35. can. 1. dist. 44.
cap. 14. de vit. & honest. Cleric.* Similiter nimia eorum avaritia,
tanquam insatiabilis cupiditatis vorago, & omnium malorum
radix, abusu tribuitur *can. 2. dist. 47.* itemque frequens ad mo-
nasteria seu clausuras monialium accessus *can. 17. dist. 32.* de-
positionis pœnâ, post vanam admonitionem coercendus
cap. 8. X. de vit. & hon. cleric. nec non si mimis jocularibus &
histrionibus sint intenti, ad aleas & taxillos ludant, & tabernas
præter casum necessarii itineris visitent *cap. 15. eod. can. 2. &
C* *seqq.*

[REVERS]

Augst



seqq. dist. 4. Nullatenus tamen ludum ingenii & exercitii causa institutum, esse culpabilem seu in vitio, probat *cap. 11. X. de excess. praelator.*

XXX.

Sed hi & similes abusus, non æquant illum, qui per propri-
dium, omni jure prohibitum, committitur. Quilibet enim
suam carnem potius nutrit & fovet, quàm odio prosequitur *ad*
Eph. 5. v. 29. & nostrum non est mortem arripere, sed illatam
ab aliis libenter excipere, ut ait Hieronymus *in can. 11. caus. 23.*
quæst. 5. sibi siquidem qui non parcat, multò minus aliis parcat
l. ult. §. 6. de bon. eorum qui &c. Bene Guilielmus Onciacus
quæst. juris philos. 38. n. 2. *Qui sibi mortem consciscit, ait om-*
nem judicarium ordinem, actoris, rei, judicis & executoris con-
versum, in se trahit. Quid mirum proinde, si quis ex conscien-
tia criminis sese ipsum jugulans, equo in locum supplicii traha-
tur, ibique vel in furca suspendatur, aut igni cremio consuma-
tur Menoch. *de A. 1. q. lib. 2. cas. 285.* Carpzov. *prax. crim. p. 3.*
q. 131. n. 48. Quanquam si aliqua sit causa, quæ illi, qui in carce-
re occisus reperitur, patrocinium præstet, præsumptio propri-
dii non capiatur, cum ea semper in meliorem partem fieri sole-
at *arg. l. 3. §. pen. de bon. eorum qui &c.* Quanquam etiam tæ-
dium vitæ, pudor æris alieni & propudiosa avaritia, dictam pec-
nam minuat, efficit tamen, ut cadaver in locum infamem pro-
jiciatur, & absque ullis ceremoniis sepeliatur Schneidewin. *ad*
§. 3. Inst. de publ. jud. n. 6. Et quamvis commiseratione digni sint,
quos vel melancholia, vel animi impotentia ad hunc abusum
impulit, tamen nihilominus in ima cœmeterii parte sine con-
suetis ceremoniis sepeliri solent Carpzov. *Jurispr. Consist.*
def. 377. & seqq.

XXXI.

XXXI.

IN seruo singulare est, quod à domino suo aufugiens, sui furtum facere dicatur, *l. 1. C. de furt. & serv. fugit. add. l. ult. §. 5. ibi: aut seipsum furatur. C. de his, qui ad Eccl. confug.* nimirum non formaliter & verè, seu quasi se ipsum contrectare valeat, apertè siquidem hoc negat Paulus in *l. 9. de serv. export.* & præterea omne contrectatum extra contrectantem positum esse debet *arg. §. 1. Inst. de obl. qua ex del. nasc.* sed effectivè, seu quod propter summam improbitatem atque malitiam, quâ fugiendo domino nocere intendit, jure ipsius abutatur, & hæcenus pro re furtiva reputetur *§. 2. Inst. de usucap. ne ab emptore, tametsi b. f. possessore, usucapi possit d. l. 1. cum primis, cum dominus ejus possessionem retineat, imò per eum, sicuti per servos, quos in provincia habet, possessionem acquirat l. 1. §. 14. de A. l. A. P.* Quâ de re latè & eruditè, multisque difficultatibus remotis, videsis Raphaël de Vilosa. *tract. de Fugitiv. cap. 9. & 10.*

XXXII.

Dictum huc usque de abusu *personarum*. Pergimus ad abusum *rerum*, earumque tum *corporalium*, tum *incorporalium*, & *illarum* rursus ex jure tum *in re*, tum *ad rem competentium*. Quod *jus in re* attinet, dominus abutitur jure suo, quando domum aut villam diruit *l. 52. de contr. empt. vel negotiandi, si-ve venditionis, aut promercii causâ, ut loquitur Cujac. lib. 19. cap. 19. marmora aut columnas detrahit l. 2. C. de adif. privat.* venditore quippe hanc pœnam sentiente, ut venditio irrita fiat, emptore verò, ut duplum pretii ærario solvere cogatur *d. l. 52.* Idem dicendum, si integrum ædificium deponat, & materiam non minus conservationi, quàm ornatui subservientem in aliud, sive intra urbem, sive extra eam, transferat *d. l. 2. in fin.*

C 2

Quod

[F. 112]

Lugger

Quod & verum, si columnas vel statuas cujuscunque materiae ex una provincia in aliam *l. 7. C. eod. ubi Gothofred. in not.* aut decore civitatis spoliato in rura transportet, privatur siquidem possessione, quam hac ratione ornare voluit *l. 6. pr. C. dict. tit.*

XXXIII.

Omissa quoque necessaria domus reparatio, ceu abusus specialis notatur, ob eamque dominus per curatorem seu administratorem reipublicae ad refectionem cogi, vel si facultatibus destituatur, ea publico sumptu fieri potest *l. 46. de damn. inf. Cæpolla tract. de servit. cap. 59. n. 1. & seqq.* Quae de causa etiam socio, ad factam requisitionem, refectionis necessitatem differente, alter socius communi nomine reficere, & ab illo partem dimidiam expensarum, cum usuris centesimis repetere potest, quam si intra 4. menses non obtineat, in solidum totius ædificii efficitur dominus *l. 4. C. d. t. ubi Brunnem.* Cæterum, si dominus in tantum rebus suis abutatur, ut prodigus, seu omnium libidinum ac vitiorum servus, uti vocatur *in l. 13. §. 2. C. de sent. pass. & rest.* efficiatur, certum est, eum publicè pro tali declarari, eique bonorum suorum administrationem auferri posse *l. 1. pr. de Curat. furios.*

XXXIV.

Maritus tanquam verus rerum dotalium dominus *§. 40. Inst. de A. R. D. l. 23. C. de jur. dot. l. 9. C. de R. V.* committit abusum, quando eas dolo, vel lata, vel levi culpa, reddit deteriores, aut moram in reddendo committit *l. 25. §. 1. solut. matrim.* aut cceptam in iis usucapionem, si potest, non interpellat *l. 16. de fund. dotal.* nisi forte earum traditio non ipsi marito, sed ejus filio vel servo facta, tum enim culpam non præstat *l. 46. de jur. dot.* Quod & verum, si mulier in dote recipienda moram

ram

ram committit *l. 9. solut. matrim.* Pactum etiam cum muliere initum, in abusum degenerat, per quod eius conditio reddetur deterior *l. 14. de pact. dotal.* aut ea dote privatur *l. 40. §. ult. eod.* tametsi liberi sint superstites *l. 2. ibid.* vel etiam fructus in dotem convertuntur, dummodò hac ratione dos apud maritum sit sterilis, quia sic videtur indotata ad ipsum venisse *l. 4. eod.* ubi distinctè & eleganter Tabor.

XXXV.

Nec minoris præjudicii est alienatio fundi dotalis, sive à muliere dati, sive à marito debiti, & hanc in causam conversi *l. 9. §. 1. & seqq. de fund. dotal.* dummodò liberâ voluntate *l. 1. C. eod.* nec per universitatem facta sit *l. 1. §. 1. eod.* isque abusus æquè sponso, quàm marito imputatur *l. 4. ibid.* Et cum bona quædam ad vitam fruenda mulieri post mortem mariti in compensationem dotis & in locum donationis propter nuptias transcribuntur, dotalitii nomen vulgò habentia, hinc nec ea marito distrahere, pignori dare, aliove titulo alienare licet Henel. ab Hennenfeld. *tract. de jur. dotal. cap. 7. §. 2.* nisi elapso biennio mulier consensum antea interpositum novo instrumento reiteravit *Nov. 61. cap. 1. §. 1. & 2.* aut alienationem juratò comprobavit, vel bona alia æquà commoda in locum distractorum manibus substituit Henel. *d. loc. §. 3. 4. & 5.*

XXXVI.

A Emphyteuta quoque per notabilem, dolo malo, lata, aut levi culpa factam deteriorationem committitur abusus *auth. qui rem. C. de SS. Eccles. sive secularis sive Ecclesiastica* fuerit emphyteusis Carpzov. *p. 2. const. 28. def. 23.* ita tamen, ut propter latam culpam privationis pœna vel in totum vel in tantum, seu quoad partem saltem deterioratam Carpzov. *d. loc. dicte.*

Jussen



dictetur *d. auth.* ob levem verò actione ex contractu ad damni
dati refusionem, & ut in posterum boni viri arbitrio utatur, agi
possit Struv. *Ex. 11. th. 72. n. 2.* Eaque deterioratio & abusus
etiam per incisionem arborum fructiferarum, quantumvis ab
ipso plantatarum, contingit. Carpz. *d. loc. def. 24.* nisi alias in
earum locum supplantet *arg. l. 45. §. 13. de jur. fisc.* aut formam
rei pro meliori cultura mutare, veluti hortum in agrum con-
vertere velit, quippe quod ipsi licitum est *l. ult. de jur. dot. l. 7.*
§. 13. sol. matrim. Richter. *part. 3. decis. 143. n. 20. & seqq.*

XXXVII.

IN prædiis censiticis, si culpâ aut studio negligentur vel dere-
linquantur, idem comittitur abusus. Quantumvis enim ple-
num eorum dominium sit censuarii, & nemo in re propria ul-
lam præstet culpam *l. 31. §. 1. de hered. petit.* illud tamen opera-
tur abusus, ut canon nihilominus sit præstandus, ne ex dolo vel
culpa sua lucrum reportet Fransk. *l. 1. variar. resol. quest. 5.*
n. 9. Nec minus re abuti censetur, quando canonem illi inhæ-
rentem in recognitionem domini præteriti, per aliquot annos
non solvit, aut etiam prorsusolvere detrectat, siquidem tum
quidem res ceu caduca, ut fit in emphyteusi *l. 2. C. de jur. em-
phyt.* nequaquam peti, ad censum tamen debitum solvendum,
& expensas à domino factas, nec non contra detrectantem in-
terdicto unde vi, vel confessoria aut serviana, sive ad obtinen-
dam immiessionem in prædium censui subjectum, agi potest
Fransk. *d. lib. 1. resol. 7. n. 17. 23. & 44.*

XXXVIII.

QUOD de Emphyteuta dictum, procedit etiam in vasallo,
ob nimium siquidem feudi abusum, seu insignem deterio-
rationem privationem feudi incurrit *2. F. 8. §. e contrario. 2. F. 52.*

ta-

tametsi, ad perpetuam rei jacturam ea haud pertineat, nullaque admonitio pro illa omittenda à domino interposita fuerit, ut bene monet Ludwel. *syn. feud. cap. 17. pag. m. 434.* Præterea etiam non ipse tantum, verum etiam heredes, ratione damni dati obstringuntur Struv. *syn. feud. cap. 15. aph. s. in fin.* Neque refert, licet feudum vasallus emerit Gothofred. Anton. *disp. feud. II. th. 6. in fin.* cum tale quoque species proprii sit, & emptio plus juris ementi non tribuat, quàm etiam alii vasallo. Non tamen abusus talis nocet agnatis, utpote quibus à domino post mortem delinquentis vasalli, feudum restitui debet Struv. *d. loc. num. 3.*

XXXIX.

Circa usufructuarium DD. diversimodè statuunt, mulrique existimant, eum per abusum jus suum non amittere, uti videre est apud Coll. Arg. *tit. 46. quib. mod. usufr. amitt. th. ult. junct. th. 9.* ubi eandem quoque sententiam fovet. Quam etiam novissimè tuctur Brunnemann. *ad l. 1. usufr. quem cav. n. 20.* Veruntamen ipso jure hoc modo usumfructum extinguere, analogiæ juris convenientius est, & communiter interpretantur, ceu testatur Welenb. *pagat. d. tit. n. pen.* disertè siquidem in §. 3. *Inst. de usufr.* dicitur, usumfr. finiri, non utendo per modum, perinde ut per mortem. Constat autem per hanc ipso jure expirare, neque ad heredes transmitti, cum personæ cohæreat *l. 3. §. ult. quib. mod. usufr. amitt. l. 10. C. de usufr.* Ad hæc usufructuarius boni viri arbitratu uti h. e. idem quo diu re sua facere *l. 1. §. 3. usufr. quemad. cav.* non deteriorare *d. l. 1. §. 3.* non pati, ut usucapiatur *ead. l. 1. §. ult.* & custodiam præstare debet *l. 2. eod.* meritò itaque jure suo destitui, & obventionibus inde dependentibus privari debet, qui limites à lege, vel conventionem præscriptos violat *auth. qui rem. C. de SS. Eccles. l. 14. §. 1. in fin. C. eod.* Atque huic sententiæ etiam applaudunt Leoninus

LEONINUS

Leoninus

AN

24

ninus *comm. de Vsufr. cap. 18. n. ult.* Fransk. *tit. quib. mod. usufr. amitt. n. 5. & 6.* Vinn. *ad §. 3. Inst. d. Vsufr. n. 2.*

XL.

Potissimum, quo dissentientes utuntur, argumentum, depromptum est *ex l. 1. §. 1. & seqq. usufr. quemad. cav. l. 9. §. ult. de damn. inf.* Attamen hæc non oppositionem, sed alternationem continent, in potestate nempe proprietarii esse, utrum salvo usufructu damni dati refusionem petere, an usufructum ipsum revocare velit, ut bene tradit Struv. *Ex. 12. th. 66.* Amissio tamen de abusu, dolo, vel culpâ latâ admissio, solummodo exaudienda, ob levem enim usufructum non amittitur, sed interesse duntaxat exigitur, levissima verò prorsus non præstatur Struv. *d. Ex. 12. th. 23. & 34.* licet dissentiat Brunnemann. *ad l. 2. usufruct. quemad. cav.* Cæterùm ob ejusmodi abusum non extraneus saltem, verùm etiam avus & pater jus suum amittunt Leonin. *dict. comm. cap. 18. n. ult.* Quod & verum in vidua luxuriosè vivente Tabor. *in not. ad Colleg. Argent. loc. antea citato in fin.* Alius ab usufructuario comittitur abusus, quando jus suum extraneo cedit §. 3. *Inst. de Vsufr. l. 66. de jur. dot.* cum à persona sine sui interitu discedere non possit, ut bene Vinn. *ad d. §. 4. n. 4.* Quod tamen de ipso usufructus jure accipiendum, usufructu siquidem simpliciter concessio, non jus personale, sed reale, id est, commoditatem vel exercitium intelligi, ex Baldo refert Leoninus *alleg. loc. n. 13.*

XLI.

Eorum catalogus, qui *rebus ex jure ad rem* competentibus abutuntur, nunc porrò considerandus. Primordium autem hos inter facit commodatarius, re siquidem ad destinatum haud utens finem, videtur abuti, veluti si equo ad longius iter, aut

aut vestimento non ipse, sed alius utitur *l. 5. §. 8. commod.* adeo ut si animo lucrandi id faciat, furti quoque teneatur *l. 54. §. 1. de furt.* nec non casam inde eventientem præstet *d. l. 5. §. 6.* Abesse tamen censetur ille, si vel necessitas expeditionis iter sufflammet, Lauterbach. *ad tit. commod. §. 1. n. 6.* aut commodatarius commodantem non contradicturum existimet *§ 7. Inst. de obl. quæ ex del. nasc.* quod præcipue ob singularem inter ipsos amicitiam præsumi, tradit Menoch. *de A. I. q. cas. 298.* Deterioratio etiam siue totalis siue partialis, dummodo non à tertio proveniens *l. 19. comm.* ab usum inducit, cum propria non censeatur reddita, quæ reddita deterior *l. 3. §. 1. h.* unde hujus nomine interesse præstandum *d. l. 3. §. 1.* licet commodans eam taliter receperit Lauterbach. *d. tit. §. 2. n. 4.* illius verò nomine ad æstimationem *l. 17. §. ult. eod.* etiam mediante juramento in litem nonnunquam taxandam tenetur *l. 3. §. 2. eod.* Neque aliud dicendum de liberis hominibus, si forte intuitu alicujus artificii, alteri commodentur *l. 5. §. 3. ibid.* Sichard. *ad C. eod. tit. n. 2.*

XLII.

Commodatario comparatur creditor quoad culpæ præstationem, sed non gradum *in l. 13. in fin. de pign. act.* Ab utitur itaque pignore, eoque nomine convenitur, quando illud deteriorari vel prorsus perimi permittit *l. 5. §. 2. de pign. act. l. 3. l. 7. C. eod. l. 18. princ. comm.* itemque si majorem pecuniam ex ejus distractione redigit, eamque aut tardius restituit *l. 7. eod.* aut fœnori exponit *l. 6. §. 1. ibid.* ita ut ad usuras non solum ex ex mora, verum etiam ante hanc, æquitate suadente, obstringatur *d. l. 6. §. 1. & l. 7. Lauterbach. ad tit. de pign. act. §. 2. n. 5. in fin.* Neque aliud dicendum, si fructus ex pignore simplici percipit *l. 1. C. de pign. act.* quippe qui factâ solutione à debitore, etiam si prædo sit *l. 22. §. 2. eod.* repeti possunt, nondum autem

D factâ,

[SICHA]

Lauterbach

factâ, in rationem exonerandi debiti computantur, habitâ quoque eorum ratione, qui percipi potuerunt *l. 3. C. ibid.* quâ tamen in re non personam debitoris, sed creditoris, utpote possessionem ab illo habentis, spectari, cum citatis notat Brun-
nemann. *ad dict. l. 3.*

XLIII.

Est & hæc abusus species, si creditor traditum sibi instrumen-
tum ejus fundi, quem oppignoraverat, debitori non exhibet, ut fines ejus cum vicino controversos demonstrare possit, quo nomine ad interesse etiam extrinsecum, quod aliâ in jure non attenditur *l. 21. §. 3. de act. empt. tenetur l. ult. pr. de pign. act.* Bacckov. *tr. de pignor. lib. 5. cap. 21. pag. 466.* Postremò si creditor & jure suo, & patientiâ debitoris, simul & judicis abutatur, remque oppignoratam ad hujus jussu non restituat, manu quoque militari ei hæc auferri potest *l. 68. de R. V.* Bacck. *dict. lib. 5. cap. 21. n. 2.* Quod & verum, si debitor solutâ nondum pecuniâ egit, pendente tamen judicio pecuniam realiter obtulit, inque ea oblatione perseveravit *l. 9. §. ult. de pign. act.* ibidemque Brunnemann. *n. 10. & 11.*

XLIV.

In deposito quoque usus, custodiæ adversus, constituit ab-
usum, nisi quis eum invito haud domino usurpari credat *l. 76. pr. de furt.* Neque alia est ratio deteriorationis aut interitus, qui dolo malo vel latâ culpâ contingit; æstimatio siquidem convenienti modo peti *l. 1. §. 26. de pos.* & juramento in litem, dummodò dolus adsit, taxari potest *d. l. 1. §. 26.* Idque tum etiam obtinet, si cista bene clausa, à depositario aperta, & dissigilata reddita *l. 1. & 2. de in lit. jur. l. 9. C. und. vi.* tametsi quis aperuerit, ignoretur, cum hoc ipso dolus præsumatur, quo aperta redditur *d. l. 1. §. 26.* nisi probitate vitæ releveretur, & depo-
nens

nens ob levitatem ad jurandum admitti nequeat Menoch. *de A. I. q. lib. 2. C. 288. n. 26.* Carpzov. *lib. 2. resp. 69. n. 9. & 10.* Schneidewin. *ad §. 3. Inst. de obl. qua ex del. nasc. n. 5.* Struv. *Ex. 21. th. 4.*

XLV.

Idem dicendum, si à communi exitio res proprias viliores liberavit, deponentis vero pretiosiores neglexit, cum communiter homines tali casu pretiosiores præferre soleant, ut bene loquitur Lauterbach. *tit. depos. §. 2. n. 5.* Dicta modò obtinent etiam in sequestre, officio siquidem abutitur, si dolo quicquam aut etiam latâ culpa admittat, veluti si frumentum non moveat, aut vinum non repleat, ignorans ea necessaria esse, deteriorationem siquidem aut interitum inde secutum, præstare tenetur Cludius. *tr. de jure sequestr. cap. 11. n. 5. & 7.* Goeddeus *ad tit. X. de sequestr. poss. §. & fruct. cap. 1. n. 170.*

XLVI.

In negotiis tum judicialibus, tum extrajudicialibus expediendis non sine gravi abusu versatur mandatarius, si prorsus aliud agit *l. 12. C. mand.* aut fines præscriptos egreditur *l. 5. pr. eod.* aut in commissis exequendis tergiversatur *l. 17 §. 2. dt. vel exactissimam non adhibet diligentiam l. 13. l. 21. C. eod.* aut pecuniam mandantis in proprios usus convertit, ea de causa ad usuras centesimas obstrictus *l. 38. de neg. gest.* Lauterb. *ad dict. tit. mand. §. 2. n. 4.* Quamvis verò rei turpis nullum sit mandatum, *l. 6. §. 3. mand.* utut juramentum accesserit *cap. non est obligatorium. de R. I. in sexto.* tamen si mandatum de vulnerando datum, & mandatarius impiæ hujus licentiæ limites ad gravissimum abusum trahat, alterumque occidat, meritò poena L. Corneliæ ordinariâ tenetur, mandans verò non nisi extraordinem, ob latam, quam admisit culpam, coercetur *l. 3. §. 2.*

D 2

ad

[EVIDENTIA]

Jungfer

ad L. Conel. de sicar. l. 14. eod. l. 39. de furt. Fransk. Ex. 14. quest. 8. n. 4. & seqq. Illud in procuratore speciale est, quod quamdiu litem nondum contestatus est, alium substituendo, abusum committat, nisi id dominus nominatim ei permiserit l. 8. §. 3. mand. l. 11. l. 23. C. de procur. Aliud obtinet in mandatario extrajudiciali d. l. 8. §. 3. præterquam si negotii gravitas, aut tenor mandati ostendat, singularem ejus industriam fuisse electam arg. l. 31. de solut. Lauterb. d. tit. §. 1. n. 4. Quando verò contingit, procuratorem contumaciam dolum vel culpam admittere, suoque officio abuti, id ipsi quidem quoad pœnam contumaciæ solvendâ nocet, l. 1. §. 1. si quis jus dic. non obtemp. ita ut hanc à domino repetere nequeat O. C. part. 1. tit. 52. in fin. R. I. de anno 1654. §. 92. dominus verò eapropter processum amittit l. 10. in fin. C. de proc. neque ad restitutionem in integrum admittitur arg. l. 13. §. ult. C. de judic. quantumvis procurator solvendo haud fuerit Lauterb. Ex. forens. 11. th. II. lit. B.

XLVII.

ADvocati officium summè honorificum & laudabile l. 14. C. de advoc. divers. judicior. ne ad abusum trahatur, sollicitè quoque cavent leges, idque nominatim ac specificè contingere tradunt, si quis causarum concinnator vel redemptor sit h. e. materiam litis ultrò suggerat, aut lites intricatas mercetur sibi que cedi curet l. 9. §. 2. ibique Feltmann. de offic. Procons. & legat. si fallacias & fraudulentas cautelas adhibeat l. 14. §. 1. C. de judic. præcipuè, ut adversarium fraude apertâ vel occultâ utentem repellat Struv. Ex. 7. th. 8. licet aliud velint Mynsing. cent. 3. obs. 6. Setser. arb. feudal. disp. 9. in fin. ibique citat. si de quota litis paciscatur l. 53. de pact. l. 15. C. de proc. si causam manifestè injustam vel in initio, vel ex post facto deprehendam, tucatur d. l. 14. §. 1. si in simili causa clientem ad transactionem indu-

inducat Carpzov. *Jurispr. forens. part. 1. c. 2. def. 15.* si prævaretur seu clientis sui causam prodat partemque diversam adjuvet *l. 1. princ. & §. 1. de prævare.* Quam in rem etiam Nemesius Carolina notabilem poenam determinavit *art. 115.* si ad falsam responsionem confessionem aut negationem consilium præbeat Carpz. *d. loc. def. 20.* si à realibus ex desperatione causæ ad personalia dilabatur Speckhan. *cent. 2. class. 4. quest. 40.* Et denique in genere, si in patrocinio fidelitatem, in consilio cautelam, in iudicio iustitiam non observet, quæ de re latè differit Bartholomæ. Agricola *tr. de qualit. & offic. boni Advocati cap. 16. & mult. seqq.*

XLVIII.

IN societate committitur abusus, si mortuus in fundum communem infertur *l. 39. pro soc.* si pecunia collata in proprios usus ab uno sociorum convertitur *l. 60. pr. eod.* si unus rem communem alienat & totam tradit, tamen si societas sit universalis *l. 68. pr. h.* dummodò limitata seu restricta, non verò omnimoda *arg. l. 39. §. 3. l. 66. l. 81. pr. eod.* si sit rixosus vel damnosus, ut non expediat eum pati *l. 14. h.* si habeat concubinam Hector Felicius *tr. de societ. cap. 35. n. 32.* si unus cæteros indemnes servare *l. 27. in fin.* damna propter societatem exantlata pro parte ferre *l. 52. §. 4. h. conventa præstare d. l. 52. §. 12.* & ea quæ committendo vel omittendo dolo, culpa lata aut levi admisit, resarcire recuset *l. 47. §. 1. l. 48. h. t. §. ult. Inst. eod.* ita ut negligentiam, cum commodo societati procurato, compensare non possit *l. 25. l. 26. h. t.* Quod & verum, si æs alienum ab uno, stante societate contractum, cæteri pro suâ parte agnoscere nolint, tamen si conditio eadem demum dissoluta extiterit *l. 27. h.* ex contractu siquidem unius, cæteri non in solidum, sed duntaxat pro rata tenentur Struv. *Ex. 22. th. ult.* ubi plures allegat. tamen si aliud placeat Lauterbach. *disquisit. de socior.*

D 3

oblig.

D
E

Luffen

oblig. quæ oritur ex convent. cum extraneis inita. §. 55. Per ab-
 usum quoque amittitur beneficium competentia, in societate
 non minus particulari, quàm universali competens *l. 63. pr. d. t.*
 quando quis se socium esse inficiatur. *l. 3. in fin. h. t.* aut bona
 in fraudem futurae actionis erogat, non verò si occasione acqui-
 rendi non utitur *l. 68. §. 1. eod.* cum non videatur diminuere pa-
 trimonium, qui id agit, ne locupletetur *l. 6. princ. quæ in fraud.*
cred. Nec minus intemptiva & dolo malo facta renuncia-
 tio in simili vitio est *l. 17. §. 2. h.* quantumvis enim societa-
 tem dissolvat Struv. *d. loc. th. 41. in fin.* tenebitur tamen renun-
 cians cæteris ad interesse §. 4. *Inst. eod. l. 65. §. 3. h.* nisi ipsorum
 non interfit, renunciationem factam esse Felicius *d. loc. n. 16.*

XLIX.

Quod emptorem attinet, si antiquos fundi patrimonialis
 colonos perturbet s. expellat, contemplatione hujus ab-
 usus possessionis commodo privatur *l. 3. C. de mancip. & colon.*
 Aliter enim cum eo, qui emphyteusin fundi publici seu fiscalis,
 quàm qui privati emit, comparatum est, ille siquidem juri à co-
 lono per contractum obtento, stare tenetur, ne alioquin con-
 tra fiscum regressum sumat Perez. *ad dict. tit. n. ult.* Brunnem.
ibid. in fin. Committunt & Nobiles abusum, quando perni-
 ciosum urbibus mercimonium exercent, h. e. si opibus & po-
 tentia sua commerciorum totam utilitatem ad se trahunt, at-
 que ita plebejos & infirmiores negotiatores opprimunt, ut ita
 eleganter declarant textum *l. 3. C. de commerc. Pfeil. conf. 202.*
n. 33. & seqq. Marquard. *tr. de Mercator. lib. 1. cap. 10. n. 72. in*
fin. Idque verum, sive eam per se ipsos, sive per alios exerce-
 ant Gerdesius *tr. de decoctor. th. 65. in fin.* Aliàs non omnem
 mercaturam nobilibus interdictam esse, neque nobilitatem
 obfuscare, rectè asserit Marquard *dict. loc.* licet aliter sentiant
 Ger-

Gerdes. *dict. loc.* Hanau. *tr. de Nobilit. quest. 160.* Quibus mores retractum concesserunt, simili labi obnoxii redduntur, quando fraudulentè emptores circumveniunt, & non tam in ptopriam, quàm alienam utilitatem illum exercent, quod ut evitetur, juramento quandoque onerari solent Richter. *decis. 76. num. 17.*

L.

IN re conducta malè sæpius & cum abusu versantur inquilini & coloni *vid. l. 3. C. de locat.* quando dolo vel culpa lata aut levieam deteriorant, eive grave damnum inferunt, tumque vel *committendo*, si ædificia destruunt *l. 29. C. eod.* arbores excidunt *l. 25. §. 4. ff. ibid.* instrumenta fundi corrumpunt *l. 19. §. 2. eod.* incendio culposo nocent *l. 9. §. 2. d. t.* aut servos conductos vulnerant *l. 43. eod.* Omittendo verò, quando villas prorsus non, aut non debito tempore colunt *l. 25. §. 3. d. t.* itemque si aliquod jus rei vel corpus deterius fieri patiuntur *l. 11. §. 2. ibid.* nec non si operas promissas non præstant *l. 27. C. eod.* & si quæ sunt alia, pluribus notata & observata à Colleg. Argent. *ad dict. tit. th. 20.* Neque verò abusum hunc physicum & naturalem duntaxat in vitio esse, verùm etiam moralem taxari & præstari, rectè notant Interpp. veluti si meretrices aut fures recipiant, aliudve indecens in domo aut villa exercent, Lauterbach. *ad tit. locat. §. 1. num. 20.*

LI.

AMicitia gratiâ, si quis aliena gerit negotia & pecuniam domini in usus suos convertit, maximarum seu centesimarum usurarum præstatione abusum illum luere tenetur *l. 10. §. 3. mand. l. 3. C. arbitr. tutel. l. 38. de neg. gest.* nisi palam accipiat, sibi que eam, ceu creditum ascribat *l. 9. §. 7. de adm. & peric. tut.*

[L. 118]

Lauterbach

aut. tum enim obnoxius fit iis, quibus idem creditor aliis fœne-
 rasset *l. 19. §. 4. de neg. gest.* Quod & verum, quando ari alie-
 no dissolvendo aliisve necessitatibus eam haud impendit *l. 13.*
eod. d. l. 19. §. 4. aut fœnori, cum apta se occasio obtulit, & do-
 minus elocare consuevit, non exponit *arg. l. 13. §. 1. de usur.* ad-
 eò ut casum merè fortuitum, veluti furtum, citra ipsius culpam
 in ea admissum, præstare obligetur *d. l. 13.* Alia est ratio, quan-
 do justam pecuniæ servandæ habet causam, tum enim even-
 tum illum non præstat *ead. l. 13.* sicut & ab usuris fit liber, quan-
 do dominus pecuniam recondere potius, quàm exponere soli-
 tus *cit. l. 13. §. 1. de usur.* Ab utitur & porrò officio suo, quando
 debitores non convenit *l. 6. §. ult. de neg. gest.* cœpta negotia
 non perficit *l. 21. §. 2. eod.* insolita prorsus aggreditur *l. 11. d. t.*
 occasionem acquirendi negligit *l. 7. C. arb. tut.* debitamque
 diligentiam non adhibet, quò nomine ex veriori sententia non
 levissimam, sed levem duntaxat præstat culpam *d. l. 11. l. 20. C.*
eod. §. 1. Inst. de obl. que ex contr. nasc. Eckolt. *ad tit. de neg. gest.*
§. 8. Brunnemann. ad d. l. 11. n. 1.

LII.

Multiplicem in tutoribus ab usum leges taxant, veluti si in-
 ventarium non faciunt *l. 24. C. de adm. & peric. tut. l. ult.*
§. 1. C. arb. tut. tametsi mater sit aut tutor honorarius, cum &
 huic solvi possit *l. 14. §. 1. de solut.* si res tempore perituras non
 distrahunt *l. 7. §. 1. de adm. & peric. tutor.* prædia minus idonea
 comparant *d. l. 7. §. 2.* pecuniam pupilli in usus suos convertunt
ead. l. 7. §. 4. contutores suspectos non reddunt *l. 9. §. 8. l. 14.*
eod. & multa alia, unius regulæ generalis schemate adumbrata
 ab Ulpiano in *l. 10. eod. si nempe pupilli nomine non faciunt, que
 quis idoneus pater familiæ facit.*

LIII.

LIII.

Spectant huc denique heredes fiduciarii, quando bona fideicommissa subjecta, alienant & tradunt. Quantumvis enim ejusmodi alienatio sit ipso jure nulla, & dominii translationem neutiquam operetur *l. 69. §. 3. l. 77. §. 7. de leg. i. cum primis si sit fideicommissum familiae Knipschild. tr. de fideicommiss. fam. cap. II. n. 26. licet revocatio ab alienante subsequuta de Petra q. 8. de fideic. n. 62. totalem tamen in hujus persona amissionem inducit l. 63. §. 3. de leg. 2. Nec minus abutuntur, quando dolum, latam aut levem culpam, circa rem restituendam, committunt *l. 32. §. 3. ad Sct. Treb. l. 47. §. 5. l. 108. §. 12. de leg. i. & inventarium facere negligunt arg. Nov. I. cap. 2. ob quam tamen negligentiam contra ipsos jurari in litem non posse, communiter tradunt, cum jus singulare favore pupilli in tutoribus introductum *l. 7. de adm. & peric. tut. ad ipsos extendi non debeat arg. l. pen. de poen.***

LIV.

Restat abusus rerum incorporalium, pro institutione paucis quoque delineandus. Spectant huc verò privilegia in genere, si contra ea singulare aliquod praesumitur & hoc modo verus eorum usus subvertitur. Idque contingit in privilegiis tum propriis, tum alienis. In propriis, si quis ad emissam à dante citationem, contra tenorem privilegii contumaciter non comparet *vid. 2. Feud. 22. ibi: Quod si neque venerit ad tertiam citationem, feudum amittat; ingratus erga eum existit l. 2. C. de libertin. & eor. liber. 2. Feud. 24. ibi: tanquam ingratus existens, beneficium amittit. crimen perduellionis vel aliud committit l. ult. ad L. Iul. majest. l. 5. C. eod. aut ipsius privilegii usum & tenorem offendit, veluti si is, qui copiam aquae impe-*

E tra-

S. N. E.

Jussu

travit, matrices fistulas corrumpit l. 3. C. de aque duct. privilegiū siquidem amittere meretur, qui permisā sibi ab utitur potestate can. 7. dist. 74. & multis aliis locis Juris Canonici, congestis ab Aug. Barbosa lib. 14. C. 83. axiom. 30. In alienis verò, si quis privilegium ab eadem potestate profectum, non reveretur & observat, cum privilegia per superiores concessa, non possint nec debeant infringi per inferiores can. 25. caus. 12. quest. 2. can. 17. caus. 25. quest. 2. Add. Tapia. ad l. ult. de const. Princ. part. 2. cap. 7. per tot.

LV.

DEinde his accensenda jura singularia. Quantumvis enim inter hæc & privilegia nullam agnoscat differentiam Manzius tr. de special. in jur. comm. quest. prelim. 3. ex ipsa tamen eorum indole ac natura, penitus investigata, aliud docet Strauch. diss. de statutis à summo Principe th. 29. ubi in fin. ita ait: *Ius singulare seorsim agit à juris communis ratione, & rationem status pro ratione habet l. 16. de LL. l. 162. de R. L. privilegi-um verò communi juris rationi subest, illamque applicat subjectis propriis & adequatis, in quantum illa recipiendo sunt.* Nimirum clarius: Jus singulare vocatur ratione causæ (ratione personæ enim est generale) ob quam contra juris communis rationem introductum est, & ab ordinariis regulis exorbitat d. l. 16. de LL. Cujac. lib. 15. obs. 8. Privilegia verò dicuntur ratione subjecti, cui concessa, & quidem non contra jus commune, sed ita, ut ob communem quam sequuntur rationem, licet unum vel alterum eximat, cum eo coalescant, & sub uno quasi genere stent. Qua de causa illud sese habet merè contradictoriè, quia juri, quod supponit, verè & realiter contradicit & repugnat. Unde enatum brocardicum: *Ius singulare in uno denotat jus commune in contrarium l. 1. ad munic. Schwarzen-thaler. tr. de stipulat. ad l. 12. C. de contr. & comm. stip. expl. 192.*

num. 5. Hæc verò magis negativè, quia etiam citra alterius juris derogationem, aut tamen apparentem saltem, indulgentur & conceduntur, imò hoc ipso, quò dantur, in jus commune transeunt.

LVI.

Sic usucapio contra vulgatum & commune porisma: *Neminem cum alterius damno esse locupletandum*, introducta, juris singularis fragmentum exhibet, illudque temperat sive mitigat Gebhard. *tr. de Usucap. cap. 1. §. 1. n. 14. & seqq.* Et libertatis favore multa contra communes Juris regulas esse introducta, compluribus juris locis proditum est §. *ult. Inst. de donat. ubi Locamer. in not.* Econtra si mulieribus intervenientibus, & minoribus circumscriptis subvenitur, & hoc modo sexus imbecillitas, & lubricum ætatis attenditur, privilegium communi juri & æquitati conforme indulgetur. Quod & verum, si uni individuo ob benè merita, aut certæ causæ, veluti impensis funeris, ut omne creditum præcedere debeant, tale concedatur *vid. l. 45. de relig. & sumpt. fun. Cujac. dict. loc. Bacckov. vol. 1. ad Treutl. disp. 1. th. 6. lit. E.* Nec commodè obmovetur, intercessionem quoque & contractum à quovis initum, ex communi præscripto & regula servandum esse *l. 1. pr. de pact. l. 1. pr. de const. pecun.* Siquidem si regula in subjectis quibusdam limitatur & officium perdit, non tam infirmatur, & propter utilitatem contra rationem quicquam decernitur *l. 16. de LL.* quàm potius confirmatur, & lumini seu dictamini rationis appositè submittitur & subordinatur.

LVII.

SI quæ sunt autem, sive jura singularia, sive privilegia jure tributa, ex abusu vel inhibentur, vel interitum experiuntur.

E 2

Sic

LVI

Lugger

Sic enim usucapio, bono alioquin publico subnixa *l. 2. de usucap.* non prodest ad acquirendum, si quis eâ abutatur, & statim in initio rem alienam, aut sacro cultui destinata[m] esse, sciat, ea de causa, impium præsidium nominatum *in Novell. 9. Tabor. part. elem. part. 2. th. 22. Ex^o.* Quod de Jure quoque Canonico verum, si quis ex post facto rei qualitatem experiatur *cap. ult. X. de præscript.* Sic licet alioquin libertati, etiam contra jura communia patrocinium præstetur, tamen ea prorsus amittitur, quando major 20. annis sese ad pretium participandum verundari passus est, modò emptor ejus libertatem ignoraverit *§. pen. Inst. de jur. person. l. 9. §. 4. de minor.* in tantum, ut nec beneficium restitutionis ei concedatur, cum læsio tali casu non bona, sed personam concernat *vid. l. 8. C. de nupt.*

LVIII.

Mulieres abutendo, privilegium Vellejani amittunt, quando ejus scientiam habentes, sub specie ac velamento alterius negotii seu contractus, intercessionem supprimunt & ita creditores decipiunt *l. 2. §. 3. l. 6. l. 23. princ. l. 30. pr. ad Sct. Vellej.* aut quando sexum mentiuntur, & habitu virili incedunt *Laur. ad tit. de Sct. Vellej. §. 2. n. 6.* Minores verò privilegium restitutionis, quando in contrahendo dolum admittunt *l. 9. §. 2. de minor.* aut pro majoribus fraudulenter sese gerunt, talesque ex conformatione corporis probant *l. 2. §. 3. C. si min. se major. Colleg. Argent. tit. de minor. th. 77.* Filiisfam. itidem privilegium Macedoniani, si per mendacium sese patres. asseverant *l. 1. C. de Sct. Maced.* dummodò creditores, facta licet sollicita inquisitione, veram eorum conditionem explorare non potuerint, de Jena *tr. de Maced. sect. 5. aph. 4. n. 1. & 10.* Ulterius etiam mercatores, qui mercaturæ officio abutuntur & falliti seu bancæruptores existunt *Marquard. tr. de Mercator. lib. 4. cap.*

cap. 8. n. 1. & seqq. Postremò illi, quibus jura beneficium competentiae tribuunt, quando ad illud tanquam inertiae praesidium, seu ut in posterum quietè vivere, & à laboribus liberi esse possint, convolare audent, cum tamen artificio, quod callent, congrua sibi alimenta parare possint Jason. ad §. 38. de action. n. 7. Itemque qui bona in fraudem debitorum dilapidant, & æs alienum fraudulenta hac intentione, ut nihilominus eò uterentur, cumulant l. pen. de jur. dot. Covarruv. lib. 2. variar. resolut. cap. 1. num. 8.

LIX.

Beneficiorum (vid. §. 5. Inst. de hered. qualit. & differ.) quoad abusum eadem est ratio, quæ privilegiorum. Utr enim latissimam interpretationem, in privilegiis non item obtinentem, cap. 7. X. de privil. Richter. vol. 2. cons. 110. n. 10. recipiant l. 3. de const. Princ. præprimis quando largitiones sive liberalitates quasdam respiciunt Wissenbach. disp. ad ff. 4. th. 19. in tantum, ut hanc non minus quoad verba, quàm res, personas, tempus, aliasve circumstantias admittant Tapia ad dict. l. 3. cap. 7. & multis seqq. add. Barbof. lib. 2. cap. 5. axiom. 17. cum liberalitas Principis freno subjacere non debeat l. pen. C. de donat. int. vir. & uxor. dummodò non concernant ea, quæ ad Principem jure regalium pertineant Brunnemann. ad cit. l. 3. n. 6. tamen si contra voluntatem atque gratiam concedentis ad abusum perperam trahantur, oppidò ea amitti necesse est arg. l. 1. & ult. C. de revoc. donat. cap. 12. X. de Censib. Quare non dubitandum, quod si pupillus alimentis à Principali gratia obtentis, & alioquin ad plenam usque pubertatem percipiendis l. 14. §. 1. de alim. leg. abutatur, eorum emolumento destituatur, si modò non culpa, sed dolo id fuerit secutum Tapia d. part. 2. cap. 7. n. 2. Quod & verum, si liberalitatis principalis socius, ad quem ea socio sine herede decedente, devolvitur t. t.

C. si liber, Imp. soc. &c. simile admiserit arg. d. l. 1. C. de revoc. donat.

LX.

Venerandæ Romanæ leges divinitus per ora Principum promulgatæ, *can. ult. caus. 16. quæst. 3.* ac decreta virtute Numinis divini scripta *Nov. Leon. 55.* rem sanctissimam continent *l. 1. §. 5. de var. & extr. cognit.* & firmissima tranquillitatis publicæ atque boni publici sunt sustentacula *Nov. Leon. 36.* ita ut eapropter ipse Imperator vocetur *Lex Nov. 89. cap. 10. in fin.* neque tamen à labe abusus liberæ manere possunt. Haud rarò siquidem contemptores experiuntur *Nov. 12. cap. 12. in fin.* non secundum illas, sed de ipsis perperam & sinistrè judicatur contra *can. 2. dist. 4.* mens & sententia in earum fraudem supprimitur & alioversum trahitur *l. 29. de LL. prætextu & velamento æquitatis infringuntur,* & sub autoritate juris scientiæ pernicioso errore deturpantur, ut graviter ait Celsus *in l. 97. §. 3. de V. O.* interpretatione inconvenienti, detorta, censoria atque correctoria eluduntur *l. 20. l. 30. de LL. junct. l. 1. §. ult. de dol. mal. & met. except. Struv. Ex. 46. th. 35.* opinionum sæpius confictarum concertationibus, incertæ atque dubiæ redduntur *Klock. tom. 3. cons. 117. n. 54.* Bene Cicero: *Omnia sunt incerta, cum à jure discessum est, nec præstari quicquam potest, quale futurum sit, quod positum in alterius arbitrio, ne dicam libidine; neglectis eorum fontibus interpretum sententiæ personatis pedibus inducuntur Tabor. Barbos. locupl. lib. 13. cap. 25. ax. 9.* optimis, quibus nituntur, rationibus susque deque habitis, aut non satis bene investigatis, nudorum placitorum titulo traducuntur. Et si quæ hanc in rem adduci posseat alia. Nihil tamen legum autoritati, & summæ artis hujus præstantiæ abusu isthoc decedere poterit. *Vid. eleganter Pfeil. consil. 197. per. tot. Si enim ex abusu artis & vitæ abutentium, ipsam improbare, rectè uten-*

utentes simul expellere equum fiet, quæ ars, qui artifices in civitate consistent? Verba sunt viri, de vera Legum Romanarum prudentia, optimè meriti Dn. Davidis Mevii prodr. *Iurispr. Gent. commun. inspect. 9. num. 7.*

LXI.

Servitutum porrò abusus nonnunquam deprehenditur, quando inciviliter seu cum insigni fundi servientis detrimento usurpantur *l. 9. de servit.* aut modus iis præscriptus haud observatur *l. 4. §. 1. & ult. cod. si modò ita comparatæ sint, ut temporis atque mensuræ determinationem sive moderationem admittant* Cœpolla *tr. de servit. ad dict. l. 4. §. 1. & 2.* Unde qui alio vehiculi genere utitur, quàm debebat, aut alio quàm permissio pecudum genere, aut alio tempore aut loco, dubio procul servitutum amittit, secus ac ille, qui latiori viâ usus est, aut aquæ concessæ aliam admiscet, cum diversa sint, aliud facere & plus facere *l. 10. & 11. si servit. vindic. Add. Eritsch. de Iur. Compasc. th. 18.* Si quis etiam aliter, quàm permissum fuit tempore primæ constitutionis, utatur servitute, non levem abusum committit *l. 12. C. de servit.* veluti si quis servitutum sibi suæque familiæ concessam, ad eandem postea auctam extendere & dilatare velit, concessio siquidem semper restringenda ad tempus contractus *l. 69. de contr. empt. Carpzov. lib. 1. respons. 45.* Alia est ratio, si fundus postea per alluvionem auctus, tum enim servitus quoque ad tale augmentum citra abusum licitè extendi potest *Carpzov. d. l. n. 9. & seqq.* quanquam aliud videatur *Brunnemann ad dict. l. 12. C. de servit.*

LXII.

Postremum occupet locum abusus actionum, tumq; vel instituentiarum vel institutarum. Illarum, si quis temerarium
liti-

[Stamp]

Augst

litigium instituit, aut reum per fraudem & frustrationem litibus vexat *l. 233. de V. S.* Idque si fiat in civilibus, victus victori ad expensas refundendas tenetur *l. 13. §. 6. C. de judic. cap. 4. X. de pæn.* tametsi liti renunciatum Manz. *ad §. 1. Inst. de pæn. tem. litig. n. 14.* Quod & verum, si quis lite temerè motâ, alium in possessione turbat, eamque hac ratione dubiam reddit *l. ult. C. quib. ad libert. proclam. non licet.* In criminalibus verò, juxta *L. Rhemniam* antiquitus usitatam, frons calumniatoris lit. K. notata *l. 1. §. 2. ad Sct. Turp.* Cujac. *lib. 7. obs. 13.* hac verò ea de causa, ne facies ad similitudinem pulchritudinis cœlestis figurata maculetur, ut dicitur *in l. 17. C. de pæn. obsoletâ*, similitudo supplicii dicitur *l. ult. C. de calumn.* ita ut super rei absolutione, & hac simul, una sententia pronunciari possit Richter. *tract. de signif. verbor. voc. calumniosè.* Hodie verò præter refusionem expensarum, non nisi pœna arbitraria dicitari solet Catpz. *prax. Crimin. quest. 116. n. 41.*

LXIII.

PRæmeditatè quoque agere differens, donec reus exceptione, probatione, vel alia defensione destituatur, veluti si, actionem differat, usque dum reus abfuturus sit, huc pertinet Wesenb. *ad tit. C. de Except. n. 9.* Quæ malitia ne reo obsit, eumque competenti præsidio privet, concessum est ei remedium *ex L. si contendat. 28. de fidejuss.* cujus virtute, actore non agente, impetrat, ut iudex de exceptione sibi competente, an in factò & jure sit fundata, cognoscat, deque illa pronunciet Lauterbach. *diff. ad dict. l. 28. th. 54. n. 8.* Idem judicandum de eo, qui actionem competentem dolosè & adversarii opprimendi gratiâ cedit potentiori, quo nomine amissione ejusdem punitur *l. 2. C. ne lic. potent.* *Institutarum* verò, si quis eam, quam legitimè movit, & super quâ litem contestatus est, vel
diffi-

diffidentiâ causæ , vel reum vexandi , & sumptibus inanibus
 onerandi causâ , nimis protrahit , & immortalem quasi facere
 studet *Vid. Rec. Imp. de ann. 1654. §. 64.*

LXIV.

DEducta hætenus investigatio apprimè ostendit , in *ἀνομιᾷ*,
 seu usurpatione contra jus constitutum , quæsitum vel
 competens, facta, ex parte agentis, & læsione inde eveniente ex
 parte patientis, abusum consistere, & in esse deduci *Videsis §. 2.*
supra. Deductum verò nonnunquam pœnali coërcitioni,
 quandoque verò rei persecutioni subjacere, sicut non minus ex
 variis modis, quibus abusus committitur, quàm etiam ex ope-
 rationibus illicò subnexis, sufficienter inclarescit; Non tamen
 prætereundum, abusum non rarò effecisse, ut multa prorsus
 abrogata & è medio sublata fuerint, ex quibus brevitatis studio
 pauca saltem, & quidem ex quolibet jure unum adferre suffi-
 ciet. Sic enim facultas oppignorandi fundum dotalem cum
 mulieris consensu, & nimia exheredandi licentia interdicta &
 sublata *pr. Inst. quib. alien. lic. vel non. princ. Inst. de exhered.*
lib. Nov. 115. c. 3. cum non infrequenter evenerit, ut blandi-
 mentis maritalibus consensus mulieris, novercalibus verò ini-
 qua exheredatio extorta, & hoc ipso juris permissi abusus ad-
 missus fuerit.

LXV.

EPulæ charitatis seu agapæ, uti vocantur *in can. 1. dist. 42.*
 licet sub initium Ecclesiæ Christianæ, S. Eucharistiæ adje-
 ctæ, intuitu tamen abusus in ædibus sacris prorsus sunt prohibi-
 tæ *can. 4. d. dist. 42. Schilter. Inst. Jur. Canonic. lib. 2. tit. 3. §. 18.*
 Quod & verum in privata pœnitentia sive satisfactione, cum-
 primis cum nimix subinde superstitiones eam fuerint comita-
 tæ *Schilter. d. lib. 2. tit. 4. §. 21.* Usus juramenti, assumptis 12.
 sacramentalibus, itemque duellorum & explorationum in

F

cau-

[F. 123]

Sugger



causis feudalibus receptus 2. F. 33. 27. & 39. ob eandem causam
abolitus, cum iusjurandum inter alios præstitum, tertio nec
prodesse nec obesse debeat *l. 10. si ventr. nom. in possess. eat.*
Vultej. de feud. C. 3. n. 38. & iniquum sit aliquem de facto alie-
no jurare *l. II. §. 2. de act. rer. amot.* Præterea ab iis certitudo
peti non potest, quæ incertitudine laborant, quin & impiâ su-
perstitione abundant *Ludwel. syn. feud. cap. ult.* Nec aliunde
quàm ab abusu petendum, quod Ganerbinatus defensionis
causa contra insultus latronum primitus institutus, deinceps
fuerit reprobatus *R. I. de anno 1495. 1500. & 1521.* cum
arces hunc in finem exstructæ latrociniis postmodum atque
deprædationibus ansam dederint, eaque confœderatio ex
optimo initio in pessimum eventum degeneraverit. *Bechm.*
ad Aur. Bull. Ex. 9. n. 26. Et Exercit. Iur. publ. 7. th. 2.

LXVI.

Quæ disquisitioni huic aduersentur, vel cognata sint, ulti-
mo loco, subnectenda. Et quidem usum, seu leges, seu
conventionem, permissum, cum abusu haud esse compatibilem,
quilibet facile deprehendit, atque exinde quoque colligitur,
quòd Imperator in §. 10. *Inst. de testam. ordin.* insinuet, ita jure
permissum utendum esse, ne quis eodem abutatur. Finitimi
verò sunt abusus alii, largo modo sic dicti, qui diversimodè
committi solent. Quibus & accensendi illi, quos Augustinus
de 12. abusion. collegit. Nimirum *si sit sapiens sine operibus,*
senex sine religione. Adolescens sine obedientia. Dives sine
Eleemosyna. Fœmina sine pudicitia. Dominus sine virtute.
Christianus contentiosus. Pauper superbus. Rex iniquus. Episco-
pus negligens. Plebs sine disciplina. Populus sine lege. Potuis-
semus equidem latius excurrere, & plura subinde addere, sed
ne nimium excrescat commentatio, eam intra hos limites
impræsentiarum coarctamus.

Addi.

Additamenta.

1.

Sponsio non minus de re turpi, quàm honesta, certo
stamen modo, fieri potest.

2.

Emptor ad usuras pretii tardius soluti, tenetur ob
moram, non verò fructuum perceptionem.

3.

Si emptor moram in non tollendo vino committat,
venditor id licitè & justè effundere valet.

4.

Essentia usus non reclamatur, si usuarius unà cum
convivis & hospitibus eum percipiat.

5.

Quantumvis sponsus fornicationem commise-
rit, aut virgine quadam abusus fuerit, non tamen ea
propter, matrimonium consummatum ex communi
D.D. opinione rescinditur.

6.

Fidem & reverentiam Domino debitam, non of-
fendit Vasallus, quando cum concubina ejus concum-
bit.

7.

Ingenii & exercitii causa, dum ludunt Clerici,
partibus officii sui haud abutuntur.

Nobi-

Jugger

NOBILISSIMO FLORENTISSIMO
ET CLARISSIMO

DN. JOH. REINHARDO
BÖDICKER,


Hunc ceu summi fastigii prodromum officiosè
gratulatur, & auspiciatos ad gloriam ascen-
sus, propensâ mente apprecatur,

JOH. DANIEL REYSER, D.

EX usu legum culposum juris abusum
Edere, laudatum juris & artis opus,
Ex usu legum profundum juris abyssum
E mensis spatiis TE penetrâsse probas.
Ex usu legum si pravum viceris usum
Effrenæ partis vanus abusus erit.

FINIS.







Marburg, Diss., 1689-92

X26 17 013

VDA





39. 103
E JEHOVA,
NTATIO
1689 4.
LSU,
yntheticè deducta,
ongressui destinata,
A M I N I
ni & Consultissimi
S HENRICI
HMIDII,
act. ordinarii, Hospitis
onoratissimi,
sa
SPONDENTE
EINHARDO
CASSELLANO.
locoq₂ solitis.
ICI STOCKII, AN. 1689.

ESSE

Augustin

